





ORDINIS IVRIDICI

IN

ACADEMIA CHRISTIAN-ALBERTINA

H. T. DECANVS

**FRANCISC. ERNEST. VOGT,**  
I. V. D. INSTITVT. ET PRAXEOS IVRIS PROFESSOR  
ORDINARIVS, NEC NON CONVICTORII DVCALIS  
INSPECTOR,

AD DISPVTATIONEM

*VIRI NOBILISSIMI AC DOCTISSIMI*

**HENRICI WILHELMI**

**SCHVMACHERI,**

REGII AC ELECTORALIS DICASTERII RACEBVRGENSIS  
ADVOCATI ORDINARIJ,

DE

**COMMVNIONE BONORVM  
INTER CONIVGES EIVSQVE EF-  
FECTV PRAESERTIM SECVN-  
DVM IVRA LVBECENSIA,**

PRO SVPREMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS  
AC PRIVILEGIIS CONSEQVENDIS

AD DIEM XI. FEBRVARII. A. M DCC XXII.

SOLEMNITER HABENDAM,

MAGNICVM PRORECTOREM,

OMNESQVE OMNIVM ORDINVM

MAECENATES, PATRONOS, PROCERES,

PATRESQVE ET CIVES ACADEMIAE VNIVERSOS

EA QVA PAR EST OBSERVANTIA ET HVMANITATE

INVITAT.

KILIAE, LITTERIS HAEREDVM B. REVTHERI.



Argumentum iuris, de quo dissertationem  
conscripsit Nobilissimus Candidatus, ansam  
mihi praeiuit inquirendi, num iura vtri-  
usque coniugis sint aequalia, num vero in  
quibusdam differant & quibus potissimum  
in negotiis diuersitas illa iurium reddatur  
conspicua? Rectae rationis si consulas dictamina, neuter  
coniugum sibi quicquam arrogare poterit, quod non ae-  
que competat alteri, exceptis tamen illis, in quibus ipsa  
natura sexui masculino prae foeminino fuit benignior, si-  
quidem foeminarum conditio, dum vterum gerunt, par-  
tum in lucem edunt eumque postea lactant & fouent, mul-  
tis omnino molestiis est obnoxia, quarum sensum mares  
feliciter ignorant. Neque naturali iure, sepositis con-  
ventionibus super hoc ipso initis, imperium aliquod mari-  
tis in vxores competit, sed vterque tantum ad id obligatur,  
quod ad obtinendum societatis coniugalis finem necessario  
requiritur, nimirum vt corporis vsum, quantum ad ge-  
nerationem ac libidinis extinctionem sufficit, sibi inui-  
cem communicent, liberorum & rei familiaris curam ha-  
beant, officiaque erga se amoris verbis factisque testen-  
tur. Iure vero diuino, in sacris literis nobis reuelato,  
vxores potestati maritorum subiectas esse debere, praeter  
illos, qui garrere & ingenium ostentare, quam veritati as-  
sensum praebere malunt, vix quisquam negabit, cum hoc  
fatis pateat ex Gen. III. 16. 1. Cor. XIV. 34. Ephes. V. 22.  
Coloss. III. 18. 1. Tim. II. 11. 12. 1. Petr. III. 1. Quo ipso tamen  
haud probamus sententiam Glossatoris, qui an. 1493. Biblia  
edidit Germanica, quarum inspectio Hamburgi in instru-  
ctissima Perillustris B. Dn. MAGNI a WEDDERKOP biblio-  
theca nuper mihi concessa fuit, verba illa, Gen. III. 16.  
*Und er soll dein Herr seyn, hoc modo interpretantis, dat is,  
he schall auer die herschape, di waken is pinigen ende te staen.*  
Si-

Sicuti etiam rationi aduersatur & rus valde olet, vulgo quod dici solet, *Weiber und Bauern müssen kein Recht haben, wo es recht seyn soll*; eiusdemque farinae est illud,

*Nux, asinus, mulier simili sunt lege ligati,*

*Haec tria nil recte faciunt, si verbera cessent.*

vel quod ab aliquibus traditum esse refert Arnitaeus *de iure connubior. cap. ult. sect. 1. n. 4.* propterea mulieribus naturam longiores concessisse crines, ut viri habeant, quo illas trahere & ligare possint. Sane verbera non conducunt sterilibus ad foecunditatem, nec grauidis ad faciliorem partum, potius illa affectum coniugalem perimunt, raro ad emendationem aliquid faciunt, saepius autem, quoniam ictus non semper cadunt ad mensuram, funestos produciunt effectus & denique

- - nullum memorabile nomen

*Foemina in pugna est, nec habet victoria laudem.*

Competit igitur marito imperium in vxorem, sed ciuile & legibus amicitiae attemperatum cumque humanitate coniunctum, non vero absolutum nec herile, hoc enim in illam, cum qua diuini ac humani iuris communicatio omnisque vitae consortium intercedit, minime quadrat. Olim in republica Romanorum vti rigidi mores, sic rigidae etiam, in his praefertim, quae ad statum domesticum spectant, erant leges, ut propterea quoque Vlpianus *Patres familiarum suarum Principes* vocet in *frags. iit. 4. §. 1.* Vxor, per confarreationem marito iuncta, particeps quidem re debeatur omnium bonorum & sacrorum, & dicebatur domus domina, sed tamen, instar filiae, sub mariti tutela erat constituta eique ut patri obsequens esse debebat, omni diuertendi spe praeclusa, simulque in eius defuncti bona succedebat haeres, sicut filia in parentis; ex asse quidem, si is sine liberis & intestatus decederet, quod si prolem haberet, ex aequo cum liberis; si aliquid peccasset,

caffet, poenam luebat ex mariti laesi arbitrio, qui de criminibus eius cum cognatis cognoscebat, teste Dion. Halic. *antiqu. Rom. l. 2. c. 26.* Sicuti quoque postea, domo expellere illam ob quamlibet causam & coniugale vinculum plane dissoluere, maritis permillum fuit. Et ab hoc tempore, ne diuortio facto ad egestatem plane redigerentur mulieres, primaeva bonorum communio sublata, & distinctio inter bona mariti & ea, quae ad vxorem dotis ac paraphernalium vel receptitiorum nomine pertinerent, enata esse videtur. Cessauit quoque mulierum successio, donec illam Praetor ex edicto *unde vir & vxor* aequitatis specie in tantum eis iterum concederet, si nulli adessent mariti collaterales. Sub imperatoribus conditio vxorum procul dubio melior fuit reddita, non solum enim tutela illa, cui antea erant subiectae, exspirauit plane & contrahendi facultas, modo maritis in perceptione fructuum dotis nullum inferretur praeiudicium, iis concessa, excepta solum intercessione vel fideiussione pro aliis facta, sed insuper quoque mariti vindictam aduersus delinquentes exercere prohibebantur, in tantum vt nequidem hoc inultum ferrent, si in adulterio deprehensam occidissent. Tandem Iustinianus, Theodoraе vxoris assiduis precibus, vt videtur, inquietatus, mulierum priuilegia valde auxit, quae hic enumerare, cum omnibus iam satis nota sint, superuacuum foret. Superfunt nihilominus plurima, in quibus maritorum iura hodiernum sunt potiora, quorum summa quaedam capita hic recensere constitui. Sic in desponsationibus liberorum patris consensus praeualet voluntati maternae. Pater habet liberos in potestate, eique in bonis illorum aduentitiis competit vsusfructus, non matri. Maritus vxorem, quam virginem esse credidit, si postea eam defloratam iam fuisse cognouerit, repudiare potest, non vero vxor maritum, qui cum aliis antea rem habuit. Marito

rito competit ius dirigendi familiam & negotia domestica,  
non vxori, licet hoc ei promiserit, *daß sie den Hubs haben  
solle*, imo si illa vi, clam, vel precario Pileum occupaue-  
rit, cum haec vitia possessionis sint, ex interdicto Praeto-  
ris restitutionem impetrabit. Maritus est dominus dotis  
eiusque fructus suos facit, mobilia etiam & immobilia  
aestimato sibi in datam dota, alienare potest, sed vxor in  
rebus propter nuptias donatis simili iure minime gau-  
det. Vxori fugienti vel discedenti maritus propria  
auctoritate manum iniicere potest, quod propter imbecil-  
litatem illa vix audebit, si vero ex causa faeuitiae disces-  
serit, hoc ei ad tempus quidem permittitur, *dum desae-  
vii byems & aquosum sidus Orion*, sed tamen interim  
curae ac custodiae probae & honestae existimationis foe-  
minae committitur, & praestita praesertim a marito cau-  
tione de non offendendo, ad eius penates reuerti cogitur.  
Quicquid est in domo mariti, ad illum quoque tandiu  
pertinere censetur, donec vxor contrarium probauerit, vt  
pote quae vltra eolum, pensum ac fufum nullius rei cre-  
ditur habere dominium, simulque ad operas obsequiales &  
oekonomicas obligatur, interdum etiam ad seruiles, quan-  
do ipse maritus vilioris est conditionis, nec sibi ignomi-  
niosum existimat, scopis purgare plateas vel ligna seca-  
re. Pater potest filiis suis pupillariter substituere, ita vt  
substitutus in omnibus bonis succedat, ne relicta quidem  
matri legitima, sed substitutio talis a matre facta valet  
tantum in vim fideicommissi. Pater curare potest, vt  
illa religione imbuantur liberorum animi, quam vel ipse  
sectatur vel veram esse credit, frustra hic dissentiente vxo-  
re & sua sacra, quibus addita est, ad liberos propagare  
volente. Vxor non potest in iudicio stare, sed eius cau-  
sae a marito sunt agenda, similiter vxoris illatam iniu-  
riam vindicat maritus, sed huic vitio verteretur, si mulier  
illum


illum defendere vellet. Vxor, se cum aliis carnaliter commiscendo, adulterium committit, sed maritus cum soluta concumbens iure ciuili pro adultero non habetur. Vxor maritum defunctum per anni tempus lugere & minimum intra spacium decem mensium a secundis nuptiis abstinere debet, sed maritus honestatis tantum causa paucos menses expectare necessum habet.

Fortē plura recenseri possent inaequalia maritorum & vxorum iura. Sed pedem hic figam & more in Academia recepto de natalibus, vita & studiis clarissimi Candidati nostri Dn. HENRICI WILHELMI SCHUMACHERI, cuius causa hanc operam suscepimus, quaedam commemoranda erunt. Natus est ille Behlendorffii in Territorio inclytæ Reip. Lubecensis anno M DCXCV. d. XI. Aprilis. Parentem habuit virum nobilissimum atque consultissimum Dn. *Georgium Schumacherum*, Quaesturae Behlendorffiensis per XXVI. annos & quod excurrit Praefectum fidelissimum, qui ante paucos annos hanc vitam cum coelesti commutauit: Matrem vero *Angelicam Elisabetham Schaeziam*, matronam honestatis pietatisque laude nulli secundam, quam diu, ad communem familiae vtilitatem, sospitem ac incolumem exoptat. Imbutus in prima iuuentute, domesticos intra parietes, christianismi non minus quam linguarum latinae & gallicae fundamentis, Luneburgum accessit & ductu clarissimi *Krautzii*, Scholae Senatoriae Rectoris, eiusque collegarum *Raphelii* ac *Schmidii*, quorum omnium in docendo dexteritatem, fidem & industriam merito praedicat, sedulam in literis humanioribus addiscendis non solum nauauit operam, sed prima etiam philosophiae ac iurisprudentiae principia a laudato *Krautzio* hausit. Sic rite praeparatus An. MDCCXV. Academiam adiit Ienensem, & in philosophia practica virum summe Reuerendum



*Io. Franc. Budem*, ac consultissimum *B. Eobraimum Gerbardum*,  
in theoretica autem *B. Mag. Mullerum*, inque mathema-  
ticis scientiis claris. *Wideburgum* doctores habuit fidelissi-  
mos, praetereaue artis heraldicae cognitionem, praeunte  
*M. Schmeitzelio*, sibi comparauit. Deinde ad iurispruden-  
tiae tum publicae tum priuatae studium animum applicuit  
eique totum se dedit, ac celeberrimos Antecessores *Ioh.*  
*Schroeterum*, *Burc. Goth. Struuium* & *Hieron. Brucknerum* ma-  
gna industria se statum est, & ex illorum doctrinae copia  
optimos sibi fructus collegit, praetereaue Consultissimis  
uiris *Ioh. Wilh. Dietmaro*, *Frider. Gottl. Struuiio* ac *Nicol. Prage-*  
*manno*, Doctoribus praestantissimis priuatim varias legi-  
timae scientiae partes exponentibus, indiuulso quasi nexu  
adhaesit, nec vnquam nisi doctior ab illis discessit, illisque  
omnibus ac singulis se permulta debere grato animo  
agnoscit. His ita peractis & cursu, quem vocant, iuris ab-  
soluto, Academias visitauit Hallensem, Lipsiensem, Witte-  
bergensem, Helmstadiensem & Rostochiensem, celeberrim-  
osque in illis omnium Scientiarum Doctores salutauit &  
quae ibidem vel in Bibliothecis vel alias notatu digna, pro-  
pius inspexit. Tandem An. MDCCXIX in patriam reuer-  
sus ad ipsam iuris praxin se accinxit, hortatu praesertim  
Viri Amplissimi Consultissimique *Io. Schaeuuii*, Proto-Syndi-  
ci Reip. Lubecensis meritissimi, cui, ob singularem huma-  
nitatem & fidelissimam operam sibi praestitam, se aeter-  
num obstrictum esse fatetur. Successum quoque in hoc  
vitae genere expertus est felicissimum, dum non solum  
in Regio & Electorali Ducatus Saxoniae inferioris Dica-  
sterio Raceburgensi inter Aduocatos ordinarios locum  
fortitus est, sed insuper etiam plures ibidem & in vicinis  
terris Mecklenburgicis Nobiles Iustitiarum munus ei dele-  
garunt, in quibus officiis talem se vbique praebuit, vt &  
integritatis & prudentiae laudem haud exiguam apud  
omnes

omnes probos sibi conciliauerit. Cumque nuper inter  
Candidatos iuris nomen suum apud nos profiteretur, in  
examinibus consuetis & propositarum legum resolutioni-  
bus ita se exhibuit, vt expectationi nostrae abunde satisfa-  
ceret, communicque omnium suffragio decretum fuerit,  
pandendam ei viam esse ad summos in vtroque iure hono-  
res. Quocirca sub praesidio meo & quidem proximo die  
Mercurii dissertationem inauguralem, *de communiōe bonorum  
inter coniuges eiusque effectu praesertim secundum iura Lubecensia,*  
publice ventilandam proponet, sui que animi dotes & eru-  
ditionem insignem conspicuam magis reddet. Quem actum  
solennem vt Magnificus Academiae Pro - Rector, Perillu-  
stres ac Generosissimi Maecenates ac Patroni, Proceres A-  
cademiae coniunctissimi, omnesque bonarum literarum  
Fautores honoratissimi, nec minus Ciues Academiae cari-  
ssimi honorifica desideratissimaque sua praesentia dignari  
velint, qua par est, obseruantia rogo. Cuius quidem fauo-  
ris ac benevolentiae memoriam Ordo noster grata semper  
mente habebit repositam, eidemque omnibus officiis ac  
studiis mutuo respondendi occasionem praetermitteret nun-  
quam. P.P. Kilonii d. VIII. Febr. An. M DCC XXII.




ULB Halle  
004 367 324

3







ORDINIS IVRIDICI  
IN  
ACADEMIA CHRISTIAN-ALBERTINA 1722, 2  
H. T. DECANVS  
**FRANCISC. ERNEST. VOGT,**  
I. V. D. INSTITVT. ET PRAEPOS IVRIS PROFESSOR  
ORDINARIVS, NEC NON CONVICTORII DVCAE  
INSPECTOR, 7 //

AD DISPVATIONEM  
VIRI NOBILISSIMI AC DOCTISSIMI  
**HENRICI WILHELMI  
SCHVMACHERI,**  
REGII AC ELECTORALIS DICASTERII RACEBVRGENSIS  
ADVOCATI ORDINARIJ,

DE  
**COMMVNIONE BONORVM  
INTER CONIVGES EIVSQUE EF-  
FECTV PRAESERTIM SECVN-  
DVM IVRA LVBECENSIA,**

PRO SVPREMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS  
AC PRIVILEGIIS CONSEQVENDIS  
AD DIEM XI. FEBRVARII. A. MDCCLXXII.  
SOLEMNITER HABENDAM,

MAGNIFICVM PRORECTOREM,  
OMNESQVE OMNIVM ORDINVM  
MAECENATES, PATRONOS, PROCERES,  
PATRESQVE ET CIVES ACADEMIAE VNIVERSOS  
EA QVA PAR EST OBSERVANTIA ET HVMANITATE  
INVITAT.

KILIAE, LITTERIS HAEREDVM B. REVTHERI.